



How to cite this document:

Como citar este documento:

Pinheiro, C. S., Mota, B. & Silva, G. A. F. (2020). O prefácio do volume I do *De uniuersa mulierum medicina* de Rodrigo de Castro Lusitano (edição do texto latino e tradução). Retrieved from <https://projectgynecia.uma.pt/edicao-e-traducao/primeira-parte-a-natureza-da-mulher-de-natura-mulieris/prefacio/>

In uniuersam muliebrium morborum medicinam ad lectorem

Praefatio

Subit omnino misereri femineae sortis, quae praeter fortuita casusque, et humana omnia quae ad millia morborum, uirorum singulis timenda, contingunt, uariis insuper diris, ac difficilimis aegritudinibus, tum ratione primordiorum generationis suae; tum ratione natiui temperamenti, a primis qualitatibus contracti: tum demum ratione instrumentorum, quae ad conceptum, partum, et lactationem sunt necessaria, a uirorum morbis plane diuersis, excarnificari saepissime solent: ita ut qui grauissimi ex iis sint discernere stultitia prope uideri possit, cum suus cuique feminae ad praesens atrocissimus nec immerito et sit, et uideatur. Quod optime cognoscens sapientissimus Hippocrates, post eum Diocles, deinde Aëtius, ac tandem plerique eorum, qui doctissimi nostro saeculo habiti sunt, summo iure de hisce affectionibus peculiare tractationes ediderunt: quia nimirum magnarum rerum hoc proprium est, ut pluribus magnum argumentum scribendi suppedient: ideo quo quisque magis ingenio potens fuit, eo quoque libentius in hoc difficillimo negotio se exercuit.

Verum Hippocrates solita sua grauitate perdifficili, et subobscura; recentiorum alii nimis diminute; alii praeterquam quod in multis defecerunt, adeo prolixè multa disputant, ut merito illis dicere possimus, quod olim Lacedaemonii Samiis legatis: *Prioris orationis uestrae partis sumus obliti, postremam ob primae obliuionem non intelleximus*; Et sane eadem ratione saepe fit ut, cum causas apud hosce scriptores tirones legunt, essentiae morbi non recordentur: cum signa, causarum iam non meminerint, unde fit, ut nec rite indicationes desumere, neque curationem, ut [b 3] par est, instituere queant: et ab eorum lectione, quamuis uerborum saturi, rerum non minus ieiuni recedant, quam accesserunt:

Illud insuper non exigua parit confusionem, quod multis non sat fuerit, auctores inculcare; sed integras eorum paginas absque fructu iterum atque iterum inserere; eandem curationem crebro rescribere, et eam congerere remediorum farraginem, ut flores a tribulis secernere sit ualde laboriosum; quin potius hos pro illis non citra maximum

aegrotantium detrimentum, sumptum, ac taedium incauti medici soleant frequentissime usurpare. Alii (quod dici solet) egregie quidem saltant, sed extra chorum, dum fabellas, et pleraque alia (ipsi uiderint, an ostentationis gratia) minus oportune immiscent, quae neque ad curationem, neque ad rei maiorem elucidationem quicquam attinent.

Plerique tum demum praeclare se perfunctos officio suo putant, cum uiginti latinis uersibus, unum graeculum ambitiose inserunt, sed fortassis, ut eorum opera animam, et spiritum in illis, quae a quibusdam minus intelliguntur, inclusam habere existimentur a Plinio edocti homines minorem fidem habere iis, quae intelligunt, parum tamen imitati disertissimum Galenum, quem Latinae linguae peritissimum fuisse legimus, nec tamen suis operibus ullum latinum uerbum immiscuisse. Iam uero maior eorum pars Romanae linguae, et comptae dictioni nimium incumbentes, dum apprime eloquentes uideri student, hoc incommodi primo statim ingressu consequuntur, ut parum medici uideantur; nam uerborum copia, quae alioqui utilia essent, contra quam putant, faciunt, ut minus splendeant; quippe quemadmodum retundentium multitudine uis medicamenti infringitur, sic utilis doctrina uerborum bullatis ambagibus. Sed hi eloquentiam pluris faciunt quam bene dicere: et cum diu noctuque maledicant, tamen minus eleganter dicere in horrore habent. At nec ueritas ornari uult, nec optima et pulchra quaeque, sermonis pulchritudine aut cultu indigent, et loqui proprie potius, quam eloqui sapientes decet; et causae ueritatem magis, quam locutionis ornatum quaerere.

Videas illos toties execrantes miseriam illorum temporum, quibus Auicenna, Rasijs, Auerroes, Mesues, et quicumque sequuntur Arabum doctrinam floruerunt, scilicet quamuis non alii Hippocratis, et Galeni dogmata melius assequuti sint; etsi multa utillissima medicamenta, alijs antea ignota, nobis inuenerunt, paucissimaque modo habeamus, quae non antea eorum fuerint (quamuis hoc saeculo adimatur eis debita gloria) impure tamen ac sine ornatu scripserunt, quod praesens aetas piaculum existimat, quia omnium studiorum explicationem magis illustrem perpolitamque desiderat. Quanto aequius possimus nos condolare saeculi huius infelicitatem, quo homines pluris uerba faciunt, quam ipsas res, quarum causae fuerunt inuentae. Sed omnis aetas de suo tempore questa est, ornat quidem sapientiam os eloquentium, rerum tamen differentias

cognoscere, quam de uocibus curiosius contendere satius erat: ac, si de aliquo periclitandum, de his potius, quam de illis putarem, ita enim comparatum est, ut tunc primum homines res ipsas neglexerint, cum nimio studio nomina quaerere coeperunt, si Galeno credimus; quem ipsi post habita uiri singulari doctrina, ob elegantem potius, et compositum stylum tantopere admirantur.

Hos igitur defectus in hac medicinae parte considerans operae pretium duxi, et tunc demum de mortalium genere bene meritum existimaui, si ex iis, quae praeclare a probatissimis scriptoribus dicta sunt, et aliis quae ego mihi meditatione crebra, multo studio, summa diligentia, et assiduo aegrotantium usu, uera esse deprehendi, duos commentarios conscriberem, in quorum primo theoriam seu naturalem mulieris historiam: in altero mulierum affectionum praxin succinte, sed accurate, comprehenderem, non ita breuiter ut aliqua desiderarentur, aut tenebris res inuolueretur: nec ita prolixè, ut bullatis nugis pagina turgesceret, et laboriosa confusione legentes opprimeret: sed medio quodam stylo et facili, et apto magis ad proficiendum, quam ad suadendum, ita ut si fieri id possit, ubi maxime careat floribus, ibi plurimum pariat fructus, non enim eloquentiae hoc opus est, sed medicinae, in quo communem utilitatem quaerimus, non gloriam.

Operis ordo

In prima igitur huius operis parte, quae quattuor libris continetur, omnia, quae ad uteri et mammarum anatomen, philosophiam, uel feminei sexus historiam, pertinent, quaeque ad semen, menstruum, congressum, conceptum, uteri gestationem, partum et lac spectant, textuum praeterea difficultates, controuersias, problemata et quaecunque longioris sunt speculationis, Deo bene iuuante, exponemus. In secunda illud curabimus, ut nulla penitus aegritudo earum, quae miseras femellas solent exercere, quaeque hactenus a diuersis scriptoribus disperse traditae sunt, omittatur, quarum essentiam, species, differentias, causas, signa, prognostica seruato ordine enucleabimus, et si quae interim prolixiorem disputationem postulauerint ea in scholia, quae singulis fere capitibus

appenduntur, relegabimus, ne properans ad curationem lector tarderis, aut impingenti desit, unde possis difficultatis lucem exigere.

Ad remedia quod attinet, reiectis cunctis illis, quae suspecta, difficilia, superstitiosa, immunda aut parum probata uisa sunt: munda dumtaxat facilia, securissima, aut pluribus euentis comprobata selegi, perniciosum eorum errorem uitans, qui cum ad manus medicamenta habeant, ut admirationi sint, ad peregrina, exotica et ad ea quae difficulter parantur, et cum minori utilitate, ne dicam cum maximo detrimento, saepe confugiunt. Nec ullum mihi secretum reseruauit eorum, quae uariis morbis proficua esse assiduitate didici; quod quosdam in multis Europae locis factitare, non sine horrore uideo: nam hic suum herculem, alter suum balsamum, aut panacaeam; alius hoc, alius illud medicamentum summis laudibus euehit, quorum tamen modum faciendi inuidiose caelant, et quasi mystagogi quidam ab ipsis superis usum accepisse confingunt, Numam, Sertorium, Minoem, et Solonem imitantes, qui per ceruam, et Egeriam a Ioue, et Apolline sibi significata, quaecunque astute imperitabant, quo facilius uulgo persuaderent, comminiscebantur. At illi prudenter fortasse in Reipublicae usum: medicos uero sordidi lucri causa occultare, quae humanae saluti utilia sunt, indecens est, et inhumanum; nam Aristotelis decreto bonum tanto est melius, quanto est communius. Sed uiolenta sunt medicamenta illa, quae, si bona aegri fortuna commode, ac oportune exhiberi contingat, illico prosunt, ideoque pleno ore commendantur: Si uero (quod plerumque fit, quia absque morbi, naturae, et artis cognitione) minus prudenter ingerantur, interficiunt, et quamuis laudent, qui eorum fortuita ope superstites sunt: qui tamen uiolentia, aut praepostero ordine occubuerunt, uituperare nequeunt, quia error medicinae terra contegitur. Eorum tamen pleraque quae sint, et quo pacto concinnentur obiter in hoc opere patefaciam.

Non tamen existimes, amice lector, nos actum agere, quia plures extent de mulierum morbis tractationes, nam certe nullam absolutam inuenies, quod tum facile deprehendes, cum reliquas quae hactenus prodire, hisce nostris diligenter contuleris: Immo erat quod hactenus feminae de nobis conquererentur, et cum Sorano exclamarent: *O male occupatum uirorum genus, occidimur nos non morimur: et ab illis, qui inter uos peritissimi existimantur, perperam curatae, uos uero de qualibet uel leuissima uestrarum*

affectionum libros ex libris facientes bibliothecas uoluminibus oneratis, de nostris interea diris ac difficilimis cruciatibus, nulla uel exigua, et ea quidem satis oscitanter, mentione facta. Neque uero me latet, non ita pridem Basileae in aliquot uoluminibus congestos omnes fere auctores, qui de hoc negotio scripserunt, fuisse excusos: in quibus tamen supra enumerata incommoda procul dubio deprehendes. Alius enim nimis breuis, alius obscurus, hic de quibusdam morbis dumtaxat edisserit, alter de aliis: plerique ita tumultuarie scribunt, ut nimium sit operosum, quod quaeris, reperire, multa desideres, plura saepissime repetita legas, pleraque in uno ex aliis supplere oporteat. Neque id mirum, non enim uiri alioquin sapientes toti huic tractationi fuerunt intenti, sed obiter, quasi aliud agentes. Quemque tamen sua esse laude dignum, nec ullum tam ieium, qui nobis non aliquid contulerit huic operi perficiendo, et per quem aliquid non profecerimus, ingenue fatemur. At unus Ludouicus Mercatus uir sine controuersia doctus, et dignus, de quo longior sermo haberetur, mihi uisus, ad perfectionem huius Medicinae partis proprius accessisse, nisi promiscue et confuse scripserit, atque adeo prolixè, ut uix caput perlegas, quin prius terminetur morbus, quem curas, inter cuius etiam odoratissimos suauissimosque flores nonnulla senticosa, et dura delitescencia interdum offenduntur.

Quamobrem cum Hippocrate agnoscens praecipuum esse scientiae uotum, aliquid eorum inuenire, quae nondum fuerunt inuenta secundum semiperfecta ad finem perducere et absolvere: grana, ut aiunt, a paleis secernere, semina mundare, et aurum ex uisceribus terrae ab aliis extractum purgare, quodque ipse erui, inserere, cuncta in ordinem facilem atque pellucidum digerere institui, ita ut quaecunque continentur in illis quattuor uastissimis tomis, qui anno superiori Argentinae, adiunctis denuo aliis auctoribus, tanquam in unum corpus uarium sane, ac deformis monstri simile, coacti colligatique absque ordine sunt, exiguis hisce duobus commentariis, dilucide disposita reperiatis atque contracta, nulla bis legas, nec in ullas inter legendum nugas impingas, quae te ab illa, quam cupis, lectione remorentur: Idque seruata semper rei serie et ordine, quem a nullo ante nos de hac re scriptore seruatum comperies: non incommoda, ni fallor, methodo, ita ut alibi lacera et disiecta membra in unum quasi corpus coalescerent. Neminem praeterea calumniandi studio, sed ueritatis indagandae, eique lucem conciliandae desiderio coacti

refellimus, aut insectamur. Non enim idcirco scripsi, ut ueterum arduos conatus, et recentiorum laudabiles annexus aspernarer, aut, quae ab aliis de hac re dicta sunt, reprehenderem, sed ut ea, quae in aliis aut obscura sunt, aut omissa, aut confusa, aut deprauata, manifestiora fierent. Scimus enim quod Socrates ait apud Platonem, nullum inscitiae euidentius extare argumentum, quam si quis data opera a uiris sapientibus dissentiat, et eorum, qui aliquid sciunt, scripta apud ignaros calumniari, non scientiae opus esse, sed proditionem naturae, et artis ignorantiam.

Quae omnia attuli, non ut studium meum insolenter extollerem, sed ut, utilitatis conscius, studiosos ad lectionem excitarem. Habes, amice lector, nostri instituti rationem, quod scio mortalibus plus utilitatis, quam mihi gloriae allaturum: Et hic ipse est, quem captaui, laboris nostri optatissimus finis. Tu uero iuxta inde perceptum fructum, de quo tibi iudicium lubens permitto, inuidiosorum mentes reprime. Quod sicubi, quia homines sumus, tibi plane non fuerit satisfactum, non otio et desidia uertes, sed peregrinationi, in qua his studiis necessaria tranquillitas non datur. Memineris etiam illud Plinii, haud ullo in genere ueniam iustiore esse, si modo mirum non est, hominem genitum non omnia humana nouisse. Non enim omnia possumus omnes, et hominis est labi, errare, falli: Suntque etiam in pulcherrimis corporibus naeui quidam, nihilque est in rebus humanis omni ex parte beatum. Debes insuper considerare rei difficultatem, est enim longe laboriosum, multa in pauca contrahere, et nihil quod desideretur omittere, ac perspicuitatem cum breuitate coniungere, et quae post multum laborem inueneris, ad certa artis praecepta reuocare. Idcirco ubique humanitatis memor lege, euolue, frui, corrige, non tam quid ego fecerim considerans, quam quid alii hac in re hactenus praestare non potuerint. Vale.

Prefácio a *Medicina Geral das Doenças das Mulheres* dirigido ao leitor.

Há que ter misericórdia do destino das mulheres. Além de todas as fatalidades, acasos e contingências humanas associadas aos milhares de doenças a recear por cada homem, a acrescentar a enfermidades diversas, terríveis e difícilimas de suportar, elas - quer devido aos primórdios da sua própria criação, quer devido ao seu temperamento natural, adquirido desde as primeiras qualidades, quer, por último, devido aos órgãos que são necessários para a concepção, para o parto e para a amamentação - costumam ainda ser atormentadas, com extraordinária frequência, por doenças completamente diversas das dos homens. De tal modo que pode parecer próximo da estultícia tentar perceber quais são as mais graves de entre estas doenças, já que a cada mulher parecerá, e não será sem razão, que a sua, a que a atormenta no presente, é a mais atroz. Perfeitamente consciente disto, o sapientíssimo Hipócrates, depois dele Díocles, depois Aécio e, por fim, a maioria daqueles que no nosso tempo são considerados os mais doutos, publicaram com a máxima autoridade tratados específicos sobre estas mesmas condições, porque é próprio dos assuntos importantes que proporcionem a muitos abundante matéria para escrever. Por esta razão, quanto maior foi o engenho de cada autor, com tanto mais agrado se exercitou nesta tarefa tão difícil.

Hipócrates, porém, trata desta matéria com a gravidade que lhe é habitual, tão difícil e algo obscura; alguns dos autores mais recentes, de forma demasiado insuficiente; outros, além de terem falhado em muitos aspectos, debatem sobre muitas matérias de forma tão prolixa que a eles podemos dizer com razão o que outrora os Lacedemónios disseram aos legados de Samos: “Esquecemo-nos da primeira parte do vosso discurso e não compreendemos a última parte porque nos esquecemos da primeira.” E é sem dúvida pela mesma razão que acontece amiúde que, quando os aprendizes lêem as causas nas obras destes autores, não se recordam da essência da doença; quando lêem os sinais, não se lembram das causas. Decorre daqui que nem são capazes de seleccionar correctamente

as indicações, nem de estabelecer o tratamento, como é conveniente, e terminam a leitura desses autores saciados de palavras, mas não menos famintos de informações do que quando começaram.

Gera, além disso, uma confusão que não é pequena o facto de para muitos não ser suficiente recomendar autores, mas ainda inserir páginas inteiras deles uma e outra vez, sem proveito, reescrever com frequência o mesmo tratamento e juntar tal amálgama de remédios que é extremamente laborioso separar as flores dos cardos. E mais: não é sem o máximo prejuízo, gasto e tédio para os doentes que os médicos incautos costumam usar com extraordinária frequência estes em vez daquelas. Uns (como se costuma dizer) até dançam com muita arte, mas fora da roda, enquanto misturam historietas e outras muitas coisas de forma nada oportuna (eles próprios saberão se com a finalidade de impressionar) que nada têm a ver nem com o tratamento, nem com uma melhor aclaração do assunto.

Por último, a maioria considera que desempenha de forma admirável o seu dever ao inserir um versito grego em vinte versos latinos, mas talvez o façam para que se considere que as suas obras têm a vida e o génio nas coisas que são menos entendidas por alguns, por terem aprendido, de Plínio, que os seres humanos acreditam menos naquilo que compreendem; contudo, em pouco imitaram o eloquentíssimo Galeno, que lemos ter sido extremamente competente na língua latina, mas não ter inserido uma única palavra latina nas suas obras. Além disso, a maior parte daqueles que se apoiam demasiado na língua de Roma e numa dicção ornamentada, enquanto se esforçam por parecer particularmente eloquentes, conseguem logo na primeira impressão a desvantagem de parecerem pouco médicos. É que as coisas que, ditas de outro modo, seriam úteis, quando ditas com palavras abundantes, fazem com que eles menos brilhem, ao contrário do que pensam, porque, do mesmo modo que a força de um medicamento se perde no meio de uma multiplicidade de coisas que a reprimem, assim acontece à útil doutrina, graças aos obscuros ornamentos das palavras. Estes autores, contudo, apreciam mais a eloquência do que o bem dizer e, ainda que falem mal de noite e de dia, têm, ainda assim, pavor de falar de forma menos elegante. Mas a verdade não quer ser ornamentada, nem tudo o que é óptimo e belo tem necessidade do embelezamento ou da ornamentação do discurso, e

convém mais aos sábios falar de forma adequada do que falar eloquentemente e procurar mais a verdade da causa do que o embelezamento do discurso.

Quantas vezes os vires a execrar a infelicidade daqueles tempos em que floresceram Avicena, Rasis, Averróis, Mesué e quem quer que siga a doutrina dos Árabes – embora ninguém mais bem do que eles tenha compreendido os princípios de Hipócrates e de Galeno; ainda que tenham encontrado para nós muitos e muito úteis medicamentos antes desconhecidos por outros posto que, agora mesmo, tenhamos tão poucos medicamentos que eles não tenham tido antes (apesar de esta época lhes retirar a glória merecida); escreveram, contudo, de forma pouco depurada e sem ornamento, facto que a presente geração considera um crime abominável, porque deseja uma explicação mais ilustre e retocada de todos os estudos – tanto mais justamente podemos condoer-nos da infelicidade do nosso tempo, em que os homens valorizam mais as palavras do que as próprias coisas, cujas causas foram descobertas. Mas todas as gerações se queixam do seu tempo. O que a boca dos eloquentes faz é ornamentar a sabedoria, mas era melhor conhecer as diferenças das coisas do que disputar com excessivo interesse sobre as palavras: e, a ser preciso comprometer alguma coisa, penso que mais vale nestas do que naquelas. Provou-se, com efeito, que os homens negligenciaram pela primeira vez os próprios factos, quando começaram a procurar com demasiado afincio as palavras, se acreditarmos em Galeno, a quem os mesmos, depois de adquirida a doutrina singular deste autor, admiram tanto mais pela elegância e pela composição do estilo.

Tendo em atenção as referidas falhas nesta parte da medicina, achei que a obra merecia o esforço e acabei por considerar, finalmente, que haveria de prestar um bom serviço ao género dos mortais, se, a partir do que foi dito de forma notável pelos escritores mais consagrados e do que eu próprio, por meditação frequente, muito estudo, máxima diligência e trato assíduo com os doentes, depreendi que fosse verdadeiro, compusesse dois comentários, no primeiro dos quais abarcasse, de forma sucinta, mas cuidadosa, a teoria ou história natural da mulher, e, no segundo, a prática das afecções das mulheres, não de forma tão breve que se sentisse a falta de algo mais ou se envolvesse o assunto em trevas, nem tão prolixamente que inchasse a página com ninharias empoladas e oprimisse

os leitores com laboriosa confusão, mas num estilo mediano e fácil e mais adequado para ser útil do que para persuadir, de modo que, se possível, onde o estilo mais carecer de flores, aí gere maior quantidade de frutos. De facto, esta não é uma obra de eloquência, mas de medicina, e nela procuramos a utilidade comum e não a glória.

Organização da obra.

Assim, na primeira parte desta obra, que se divide em quatro livros, exporemos, com a ajuda de Deus, todos os assuntos relacionados com a anatomia do útero e das mamas, com a filosofia, quer dizer, com a história do sexo feminino, e os que dizem respeito à semente, à menstruação, às relações sexuais, à concepção, à gravidez, ao parto e ao leite, além de expormos as dificuldades dos textos, as controvérsias, os problemas e todos os assuntos que precisam de uma reflexão mais demorada. Na segunda parte, trataremos de que não seja omitida nenhuma enfermidade de entre aquelas que costumam afligir as pobres mulherzinhas e que até agora foram tratadas por escritores diferentes de forma dispersa e explicaremos a sua essência, as suas espécies, características, causas, os seus sintomas e prognósticos, por esta ordem, e, se algum assunto, entretanto, exigir um debate mais prolixo, relegá-lo-emos para os comentários que se anexam a quase todos os capítulos, para que tu, leitor, não sejas retido na tua pressa de chegar ao tratamento, nem, ao chegares a ele, te falte de onde possas obter a solução para a dificuldade.

No que diz respeito aos remédios, depois de rejeitados todos aqueles que nos pareceram suspeitos, difíceis, supersticiosos, impuros ou pouco experimentados, selecionei apenas os puros, os fáceis, os mais seguros ou os que foram comprovados em múltiplas ocasiões, evitando o erro funesto daqueles que, ainda que tenham medicamentos disponíveis, para que sejam dignos de admiração, recorrem com frequência a ingredientes estrangeiros, substâncias exóticas e àquilo que se obtém com dificuldade e com menor utilidade, para não dizer com o máximo prejuízo. E não guardei segredo de nenhum daqueles remédios que aprendi com a persistência que são úteis para várias doenças, o que vejo, não sem horror, que alguns têm o hábito de fazer em muitos lugares da Europa, pois um tem o seu Hércules, o outro o seu bálsamo ou a sua panaceia.

Este exalta um medicamento com os máximos louvores, aquele, outro, mas escondem, todavia, com má vontade, o respectivo modo de preparação, e, como um qualquer mistagogo, fingem que receberam dos próprios deuses o modo de os usar, imitando Numa, Sertório, Minos e Sólon, que inventavam que lhes tinha sido indicado por meio de uma cerva e de Egéria por Jove e por Apolo tudo o que astutamente ordenavam, para convencerem com mais facilidade o vulgo. Ora, talvez estes tenham agido com clarividência em proveito da República; que os médicos, porém, por causa do lucro sórdido, ocultem o que é útil para a saúde humana é indecente e desumano, pois, por um princípio estabelecido por Aristóteles, o bem é tanto melhor quanto mais comum. São, todavia, temíveis aqueles medicamentos que, se a boa fortuna do doente se manifesta por acaso de forma vantajosa e no momento oportuno, imediatamente são úteis e, por isso, são recomendados vivamente. Se, contudo (o que acontece normalmente, porque sem conhecimento da doença, da natureza e da arte), são ingeridos de forma menos prudente, matam, e, ainda que os louvem aqueles que por obra do acaso lhes sobreviveram, os que, todavia, pela força ou pela inversão da ordem, estão mortos não podem fazer acusações, porque o erro da medicina está coberto pela terra. Ao longo desta obra, revelarei qual é a maior parte deles e de que modo devem ser preparados.

Não penses, todavia, leitor amigo, que nós fazemos o que já está feito, por existirem vários tratados acerca das doenças das mulheres, pois não encontrarás nenhum completo, o que tu facilmente concluirás ao comparar atentamente os outros que até agora foram publicados com este nosso. E até era disto de que até agora se queixavam de nós as mulheres e exclamavam com Sorano: “Ó mal ocupada raça dos homens, nós não morremos, somos assassinadas, e somos tratadas de forma incorrecta por aqueles que são considerados os mais competentes entre vós, que sobre uma qualquer insignificante das vossas afecções, fazendo livros a partir de livros, encheis de volumes as bibliotecas. Sobre os nossos terríveis e difícilimos sofrimentos ou não se faz nenhuma ou faz-se exígua referência e mesmo esta de forma bastante negligente.” Sei, contudo, que, não há muito tempo, foram impressos em Basileia, reunidos em alguns volumes, quase todos os autores que escreveram sobre este assunto, nos quais, porém, sem dúvida alguma, se encontrarão

todos os defeitos acima enumerados. Um é demasiado breve, o outro é obscuro; este trata apenas de algumas doenças, o outro das outras; a maioria escreve de forma tão desordenada que é demasiado difícil encontrar o que se procura, sentes a ausência de muitas coisas, lêes muitas mais repetidas até à exaustão e tens de complementar a maior parte das que estão num dos livros com os outros. Nem isto é de admirar, pois homens em outros aspectos sábios não se aplicaram à totalidade deste tratado, mas fizeram-no de passagem, como que fazendo outra coisa. Confessamos honestamente, todavia, que cada um é digno de louvor e que não há nenhum autor tão insignificante que não ofereça algo para completar esta obra e com a ajuda do qual não tivéssemos melhorado algo. Mas Luís de Mercado, sem controvérsia homem douto e digno de ser referido mais extensamente, é o único que me parece ter chegado mais perto da perfeição desta parte da medicina, não fosse o facto de ter escrito de forma desordenada e confusa e de tal forma prolixa que dificilmente se acabará de ler um capítulo antes que a doença que está a ser tratada chegue ao fim, e até entre as suas flores maravilhosamente aromáticas e encantadoras se encontram às vezes alguns espinhos e durezas escondidas.

É por esta razão que, reconhecendo com Hipócrates que a principal aspiração da ciência é encontrar algo que ainda não foi encontrado, a segunda é levar até ao fim o que está inacabado e completá-lo; separar, como se diz, os grãos da palha, mondar os rebentos e limpar o ouro extraído por outros das vísceras da terra e introduzir o que eu próprio escavei, decidi organizar tudo mediante uma ordem acessível e transparente, de modo a que todos os assuntos que estão naqueles quatro vastíssimos tomos que, no ano anterior, em Estrasburgo, com o acrescento de novos autores, foram recolhidos e reunidos, sem ordem, como que num único corpo, mas seguramente heterogéneo e semelhante a um monstro disforme, os encontros organizados de forma evidente e abreviada nestes dois exíguos tratados. Nada lerás duas vezes, nem cairás, durante a leitura em quaisquer ninharias que te adiem aquilo que desejas. E isto será feito respeitando sempre a sequência e a ordem da matéria, ordem que não encontrarás respeitada em nenhum dos que escreveram antes de nós sobre esta matéria. Não constitui método desvantajoso, se não me engano, que os membros dilacerados e dispersos noutras obras se fundam como que

num único corpo. Além disso, não refutamos nem censuramos ninguém pelo gosto de caluniar, mas levados pelo desejo de procurar a verdade e de dela aproximarmos a luz. É que não escrevi para desprezar os esforços árduos dos antigos, nem o empenho louvável dos mais recentes ou para reprovar o que, sobre esta matéria, é dito por outros, mas para que se torne mais claro o que nos outros é ou obscuro ou omisso ou confuso ou incorrecto. Sabemos, com efeito, o que diz Sócrates na obra de Platão: que não existe nenhuma prova mais evidente da ignorância do que alguém discordar com afínco de homens sábios e que caluniar junto dos ignorantes os livros daqueles que sabem algo não é obra da ciência, mas traição da natureza e ignorância da arte.

Referi todas estas ideias, não para elevar com arrogância o meu esforço, mas para que, consciente da utilidade, pudesse estimular os estudiosos a aprender. Aqui tens, amigo leitor, a razão do nosso intento, que sei que há-de trazer mais utilidade para os mortais do que glória para mim. E este é precisamente o fim procurado e muito desejado do nosso labor. Mas tu, de acordo com o fruto daqui recebido, acerca do qual te permito, de bom grado, um julgamento, reprime as mentes dos invejosos. Se ele, em alguma parte, te não deixar completamente satisfeito, uma vez que somos humanos, não o atribuas ao ócio e à inércia, mas à viagem, na qual não é dada a tranquilidade necessária a estes estudos. Recordar-te-ás também daquele dito de Plínio: que em nenhuma outra espécie de assuntos é mais justo o perdão, com a condição de que, todavia, não se sinta admiração pelo facto de o ser humano não conhecer tudo o que é humano. É que nem todos somos capazes de tudo e é próprio do ser humano escorregar, errar, enganar-se. Até nos corpos mais belos há algumas manchas e nada há na existência humana que seja em todos os aspectos ditoso. Deves ainda ter em consideração a dificuldade da empresa: é, de facto, deveras laborioso reduzir muitas coisas a poucas e não omitir nada do que se deseja e combinar a clareza com a brevidade e trazer aos preceitos certos da arte o que depois de muito labor encontrares. Por este motivo, tendo sempre em mente a humanidade, lê, folheia, desfruta, corrige, considerando não tanto o que eu próprio fiz, quanto o que os outros não conseguiram até hoje realizar nesta matéria. Fica bem.

